
The Dibner Library
of the History of
Science and Technology

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES



BURNDY
LIBRARY
Chartered in 1941

GIFT OF
BERN DIBNER

-- Lokk

..the leaf & 30 pages (should there be a 2d?)
& 1 engraved plate

[illegible] 17 chapters

$1.50

DISSERTATIO PRIOR
DE
URO,
Germanicè
Auer-Ochſen/
QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO ATQ; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO WILHELMO,
REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.
AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ CONSENSU,
publicæ ventilationi ſubmittunt;
P R Æ S E S,
M. CHRISTIANUS MASECOVIUS,
Regior. Alumnor. & Commun. Convict. Inſpect. Secund.
ET
R E S P O N D E N S
CAROLUS DAVID LOKK.
Morungâ Pruſſus.
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO, H. S.
An. MDCCV. die Martii.

1705

REGIOMONTI, Ex OFFICINA,
Privilegiô SAC. REG. MAJ. *confirmatâ*, GEORGIANA.

STADTBIBLIOTHEK Dubl. Königsberg i. Pr.

Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo

DOMINO,

DNO. JOHANNI CASIMIRO,

SAC. ROM. IMP.

COMITI à Wartenberg/

SAC. REG. MAJ. IN PRUSSIA

Supremo Camerario & Primario Miniſtro Statûs,

Summo Stabuli Magiſtro, Generali rerum Oeconomicarum, ut & Supremo Domaniarum,

necnon Generali atq; Hæreditario

Poſtarum Directori,

Regni Pruſſici Mareſchallo,

Itemque

Ordinis Pruſſici Cancellario atque Eqviti,

Omnium Academiarum Regiarum Protectori, &c. &c.

STADTBIBLIOTHEK Königsberg i. Pr. Dubl.

DOMINO SUO

GRATIOSISSIMO,

PATRONO SUMMO,

Hanc de Uro Priorem & Poſteriorem Diſputationem devotiſſimâ mente ac manu *offert*

UTERQ; DISPUTANS.

I. N. J.

§. I.

QVantumvis provida Natura omnibus totius orbis provinciis ſuâ gratiâ mirum in modum proſpexerit: Multis tamen locis peculiaria quædam conceſſit, quæ aliis locis haud ita ſunt communia. Hiſpani gloriantur de ingenti ponte, in quo continuè decem millia pecora paſcuntur, intelligentes Anatem, fluvium, ſuper quo pars terræ per dimidii milliaris Germanici ſpatium eſſe ſcribitur. Sicuti hujus rei veritatem ex aliis evicit Doctiſſ. Becmannus in Hiſtor. Orbis Terrar. Geograph. Cap. III. §. X. Galli ſimiliter in Delphinatu egregia recenſent naturæ miracula: *Turrim ſine veneno, la Tour ſans venin*, ad pagum Pariſet, quam nullum animal venenatum accedit, quin ſtatim moriatur, & *Fontem ardentem, la Fontaine, qui brule*, propè vicum Viſ, cœlo nubibus obducto vel radiis ſolis abactis. V. Geogr. Hiſpano-Gall. p. 341. verba ſunt modò citati Becmanni cit. Tract. Cap. VI. ſect. I. de Gallia §. XIV. Hiſce ex probatiſſimis autoribus quinque alia adjicit Neoburgus in ſeinem Geographiſchen Hoffmeiſter part. I. de Gallia pag. 232. nempe: *montem*, in forma everſæ pyramidis, *ſpeluncam in ſaxo*, quæ per totum annum ſicca, die VI. Januarii verò aquâ repleta perhibetur, porrò *pretioſos lapides* montium Saſſenariorum, contra omnem oculorum impuritatem utiliſſimos, *mannas* præterea in arboribus feraces, quarum lignum neque igne neque aquâ conſumi poteſt, denique *ciſternam Divæ matris* de la Balme, à natura ſtupendô modô effectam. Idem hic Autor collegit Angliæ & Scotiæ & Hiberniæ miracula naturæ & ſingularia multa p. 606. & ſeqq. Nimirum, Angliam non incommodari à rapacibus lupis, habere mutas ranas, cumprimis verò gaudere ingentibus ſaxis ad

ſtructuras maximas aptis, adducit quoque verſum, qui comprehendit ea omnia, in quibus Anglia miranda & majori ex parte propria habet, ſic ille ſonat:

Arx, Pons, Mons, Fons, Rex, Eccleſia, Fœmina, Lana.

In Scotia refert eſſe propè ad oppidum Vintou aquam aliquam, cujus pars altera tempore hyemali regelat, altera non, item: fontem haud procul ab Edenburg, qui nunquam exhauriri poteſt, prætereaq; peculiares canes, Doggen, latrones furesque indagare valentes, & ejusmodi plura. Hibernia verò ab eo ſcribitur liberata ab omnibus animantibus venenatis, gaudere verò ligno, quod putreſcere nequit, ac penes illud mirandis aliis. Part. II. & Cap. II. de Moſcovia hic Autor refert, in ea dari animalia ſingularia, utpote *Roſomachos*, Germanicè Vielfreßer/ de quibus & Salomon Neugebauer in Comment. Moſcovit. p. 59. odoriferos mures aquatiles, apud Moſcos qui *Vichochol* dicuntur, auri avidas veſpertiliones *Zerbuach* dictas, & talia ſimilia, quæ aliæ provinciæ ignorant. In Germania ſimiliter multis locis Naturam peculiaria quædam conceſſiſſe, ratione fluminum, fructuum, animalium &c. admodum notum. Silentio præterire non poſſumus famoſiſſimum illum fontem, vulgò Geſund-Brunnen/ ſex milliaria à Berolino haud procul ab oppido Freyen-Walde intra montes jucundiſſimô loco ſitum. Hujus aqua intenſiſſimô æſtivô calore, lactis ad inſtar alba conſpicitur, cumprimis autem menſibus Maji, Julii, Junii & Auguſti ob inſignes effectûs, hominis ſanitatem promoventes, ſat deſcribi non poteſt. Multi enim, adversâ valetudine prorsus utentes, ad eum, qui ſeſe contulêre, ejusque aquam bibêre, eâque ſeſe lavâre, intra ſpatium trium aut quatuor ſeptimanarum mirum in modum juvati ſunt, imò non pauci penitus contracti ad hunc fontem qui portati ſunt, lætiſſimô animô ac firmiſſimis nervis ab eodem receſſêre. Proindeque curâ Sa-

cræ Regiæ Majeſtatis in diem inſtituitur, ut promiſcuè omnibus illum accedentibus, eò major ſit accommodatio. Sed quid noſtra Pruſſia? Et hæc habet, quod inſignem Naturæ bonitatem piâ mente deprædicet, cum etiam quædam peculiaria poſſideat, quæ in aliis provinciis haud ita reperiri poſſunt, nempe ut alia taceamus, SUCCINUM & UROS. De illo conſcripſit luculentiſſimum Tractatum Vir quidam de Republica Literaria in noſtra Academia longè meritiſſimus & cæteroquin maximâ experientiâ conſpicuus, de hiſce aliqua jam projicere, omninò operæ pretium ducimus. Sunt quidem ſat multi, qui de iisdem incidenter ſcripsêre, ſed ex profeſſo unicè nempe, uti arbitramur, nemo. Plurimi & ferè omnes dubitanter, confusè ac erroneè eorum faciunt mentionē, atque utut quàm accuratiſſimè de iis ſcripſerit B. M. Hartknoch in ſeiner Preuſchen Hiſtoria part. I. Cap. XIII. tamen ſaltem breviſſimis eos attigit. Et ideò eò convenientius erit, de iisdem paulò prolixiùs diſſerere.

§. II. Primùm, cùm Uros aſſignaverimus Pruſſiæ, ceu peculiare quoddam, hoc ante omnia ſtabiliendum venit. Statim autem hîc prænotamus, nos intelligere jam præſens tempus, ut dicamus primùm, HODIE eſſe Uros Pruſſiæ peculiare quoddam, an olim communiores fuerint aliis locis, non indagabimus. Deinde, ubi dicimus hodie eſſe Pruſſiæ Uros *peculiare quidpiam*, intelligimus, eos, quantum ſciri poteſt, cumprimis ibidem habere ſuam ſedem & alimentationem, in maxima copia eſſe, ac generari. Qvô non negamus, poſſe uros transcurrere ad vicinorum loca, aut eorum multos ad extranea loca transportatos eſſe. Ita Pruſſiæ tantùm eos aſſignat modò nominatus Hartknoch l. cit. §. VIII. ſic ſcribens: Darnach haben die Preußen zu ihrer Haußhaltung auch einige ſeltſahme und andern Ländern kaum oder ſelten befindliche Thiere zu jagen pflegen/ unter denen iſt inſonder-

heit

heit der AUEROCHS / Et pauló poſt: Heutiges Tages werden die Auer-Ochſen in Samland oder Nadrauen gefunden / unweit von dem Flecken Taplack / da ihnen alle Winter viel Fuder Heu geführet werden / damit ſie ſich / wann ein harter Winter iſt / erhalten können. Indeque fit, ut eô tempore ibidem maxima in copia patiantur conſpici. Cæterùm multi præterea ſunt autores, qui in Pruſſia Uros eſſe ſcripsêre, utpote Sebaſtianus Munſterus in ſua Coſmograph. Lib. V. Cap. CCCCVLVIII. Geſnerus, Ulyſſes Aldrovandus aliique plures, ſed eosdem ad eundem modum etiam aliis in locis eſſe, ex nullo autore, cui vera Urorum notitia fuit, oſtendi poteſt.

§. III. Sed tamen hiſce plurima obſtare videntur, ſi autores inſpiciamus luculentiſſimos, urorum qui mentionem fecêre. I. Julius Cæſar Lib. VI. Comment. ſuorum de Bello Gallico hæc de Uro refert ratione ejus loci. *In ſylva Hercynia naſcuntur, qui appellantur uri.* Ubi verò Sylva Hercynia & ubi Pruſſia? Et Calepinus in Dictionario ſuo XI. Lingvar. inquit: *Urus eſt animal Hercyniæ ſylvæ peculiare.* II. Julius Solinus in Polyhiſt. Cap. XXXI. uros & ſylvæ Hercyniæ & omni plagæ Septentrionali attribuit, ita ſcribens: *In hoc tractu* (Hercyniæ) *& in omni Septentrionali plaga - - ſunt Uri, quos imperitum vulgus vocat Bubulos, cum Bubali penè ad cervinam faciem in Africa procreentur.* Concordat cum Solino Nierembergius in Hiſt. Animal. Lib. V. Cap. XVIII. pag. 92. ſimiliter non in una ſed multis regionibus Septentrionalibus uros eſſe ſcribens: *Septentrionales regiones* (alunt) *tarandum, armelinos, id eſt, muſtelas albas, robellam, noërzam, tragelaphum ex genere cervorum, URUM, biſontem* &c. III. Macrobius ad Etymon vocis uri reſpiciens, Saturnal. Lib. VI. Cap. de ea ſic judicat: *Uri gallica vox eſt, qvâ feri boves ſignificantur.* Quod ſi verò Gallica vox, Urus, Gallis

mini-

minimè incognitum fuerit, neceſſum eſt. IV. Eraſmus Stella, qui Pruſſiæ antiquitates ſcripſit, ubi de Uro agit, ſimul refert Lib. I. hujus Tract. eos Romæ non fuiſſe ignotos, ita quippe ſcribit: *C. Caligula Romanus Imperator primus Romæ uros in arena oſtendit, quos tùm imperitum vulgus bubalos falsò credidit.* Qvin imò vel Virgilius urorum facit mentionem, ſuô locô minimè incognitorum, Sic quippe in Georgico Lib. II. verſ. 374.

Silveſtres uri aſſiduè capreæque ſequaces
Inluunt - -

Et Lib. III, v. 531.

Tempore non alio dicunt regionibus illis
Qvæſitas ad ſacras boves Junonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Imò denique V. rotundè Sigismundus Liber Baro in Herberſtein in rerum Moſcoviticarum Comment. de loco uri, teſtante Geſnero in Hiſtor. Anim. Lib. I. de animal. & quidem de Uro hæc refert: *Uri etiam, quos indigenæ Thur, Germani biſontes vocant, in ſola Mazovia reperiuntur.* Hæc itaque & ſimilia omnino videntur poſſe dubiam reddere noſtram ſententiam, Uros ſuum locum cumprimis in Pruſſia habere.

§. IV. Verùm hæc omnia paulò accuratiùs ſi examinaverimus, patebit vel luce meridianâ clarius, ex iis nil quicquam eſſe, quod noſtram ſententiam evertere poſſit. Qvod enim concernit I. teſtimonium Julii Cæſaris, cum quo Calepinum & Solinum convenire diximus, ad id duplici modô reſpondere poſſumus. Nimirum primum conſtat ex Geographicis, Sylvam Hercyniam olim à Svevia incepiſſe, ac ab ea ferè per totam Germaniam ſeſe extendiſſe, poſtea vero ubi Germanorum numerus in diem incrementa cœpit, illius partes multis in locis exciſas eſſe, adeò, ut hodie alia pars adhæreat Bohemiæ, voceturque der Böhmer-Wald/ alia

 Brun-

Brunſvicenſi Ducatui, cui nomen der Hartz/ alia Thuringæ, ut vocetur der Doringer-Wald. Sicuti ex aliis Philipp. Cluver. in Introd. Geograph. Lib. III. Cap. V. habet. Jam ponamus tempore Julii Cæſaris fuiſſe uros in Sylva Hercynia, quæ in medio Germaniæ ſita erat; tamen non ſeqveretur, eos adhuc eſſe hôc tempore. Dictâ enim hujus ſylvæ mutatione, facile fieri potuiſſet, ut Uri efferati aut penitus ſublati fuerint, aut ad alia loca in fugam conjecti. Certè hodie adhuc uros dari vel in Bohemia, vel in tractu Brunſvicenſi, aut in Thuringia, ne unico quidem teſtimonio ſolido comprobari poteſt. Deinde ſunt, qui deſcribunt Sylvam Hercyniam per multas terras quaſi brachia ſua extendiſſe, veluti Becmannus in Orbis Terrar. Hiſt. Geograph. Cap. VII. §. IX. citavit Conradi Celtis verſus;

Herciniumq; jugum medio Germania tractu
Erigit & multis diſpergit cornua terris.

Haud improbabile, etiam usque per Pruſſiam eandem brachium quoddam extendiſſe, ſicuti ex inſpectione veteris chartæ Geographicæ, Europæ antiquæ delineationem continentis, apparet. Imo ipſe Solinus, quem citavimus, hoc innuere videtur; quippe tractum ſylvæ Hercyniæ cum ſeptentrionali plaga conjungit, quem ſcripſiſſe diximus: *In hoc tractu & omni Septentrionali plagæ.* Qvod ſi hoc ita ſeſe habet, nec Julius Cæſær, nec illi, qvi eum ſeqvuntur, nobis contradicunt, dicentibus, urorum locum eſſe præcipuum in Pruſſia, cum extrema quædam Pars Hercynii tractus in Pruſſia fuerit, qvi uros aluit eô tempore, & eos adhuc hodie alit. Inde verba apud Geſnerum ab opinione noſtra de Sylva Hercynia non aliena hæc reperimus: *Alba Ruſſia ſive Moſcovia, quâ jungitur Lithuaniæ Pars, Uros in Hercynia ſylva producit. Antonius Vied. in Tabula Moſcov.* Maximè verò ad noſtram ſententiam accedit Salomon Neugebauer à Cadano, qui in

Moſco-

Moſcoviæ Comment. p. 58. ſeqventia habet: *Sylvis, ſaltibus, ac nemoribus plena eſt Moſcovia, cujus bonam partem Hercynia ſylva occupat, reperiuntur ibi, præſertim ea in parte, quæ ad Pruſſiam vergit, uri feroces & ingentes, quos biſones alii vocant, item alces* &c. II. Adducto Solino & Nierembergio reſpondemus ita: Qua levitate ille ſcribere potuit, in *omni* Septentrionali plaga eſſe uros, hic verò *communiter*, Septentrionales regiones alere eosdem; eâdem facilitate, nos aſſerere poſſumus, utrumq; horũ locum uri minus accuratè conſignaſſe. Si enim communiter & in omni Septentrionali plaga dantur uri, cur hactenus nemo eos vidit diſcurrere in tractu Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Daniæ, Norvegiæ, Sveciæ, quæ plagæ omninò ſunt Septentrionales? Cur ex Scriptoribus iſtis, qui hæc regna deſcripſêre quàm accuratiſſime, nemo verorum urorum facit mentionem, cum tamen alia animalia, quæ in eis reperiuntur, ſilentio minime prætereant? Certè ante aliquot annos, Beatiſſimæ memoriæ Regi Angliæ, ab Auguſtiſſimo noſtro Rege uri admittebabantur, qui ab illo ceu rariſſimum omnino donum accipiebantur. III Macrobius, quem obſervavimus conſignaſſe vocem uri gallicam eſſe, explicatur à Caſparo Schotto in Phyſ. curioſa Lib. VIII. Mirab. Animal. Terreſt. Cap. X. hunc in modum: *Urus, (quod nomen Macrobius ait Gallicum, ſeu Celticum, quoniam Celtarum ſeu Germanorum idioma Macrobii tempore Gallis commune erat) ſignificat ex bobus feris illum, quem Germani etiamnum hodie* Uhr-Ochs *appellant.* Quo reſpectu facilè concedere poſſumus, urum eſſe aut potius fuiſſe vocem Gallicam, ita tamen, ut non teneremur ſimul concedere, urum intrà terminos Galliæ cognitum eſſe aut fuiſſe. Sed Ulyſſes Aldrovandus hanc ſubtilitatem aut non obſervans aut non curans, Macrobio & Servio, Græcam ſignificationem uri eſſe volenti, planè ſeſe opponit in Hiſtor. Quadruped. Biſulcor. Lib. I. Cap. II. hiſce

ſce

ſce verbis: *Urus autore Macrobio Gallica (Germanica potius) vox eſt, quâ feri (inquit) boves ſignificantur: Servius Græcam vult originem ab ὀρῶν, id eſt, à montibus, ubi potiſſimum verſantur. Apud Germanos hodieque Urochs nuncupatur, compoſitâ voce ex Ur & Ochs, Belgis Uros; unde Latini haud dubio urum conformârunt, Ur autem Germanis eſt ſylveſtre, aut vetus aut principale. Ochs autem bos eſt. Geſnerus Ur ſylveſtre hic interpretatur, ſimiliter Gallum ſylveſtrem Germanis Urhan vocari aſſerens. Poteſt tamen Ur pro principali ſive potenti interpretari, ut ſit Uros, ſive Urochs, bos potens magnus, vaſtus, maximarum virium, quales uro adſcribuntur.* Atq; tali modô III. objectio ex Macrobio ſatis reſoluta eſt. IV. Quod Eraſmus Stella aſſerat Caligulam Imperatorem *Romæ uros in arena oſtendiſſe*, veriſſimum eſſe poteſt, ex quo tamen nondum ſequitur, uros, Romæ olim genitos eſſe, aut ibidem ſedem habuiſſe ſuam. Nam & hic nonnunquam oſtenduntur elephantes, leones, tigrides & ſimilia animalia extranea, quæ tamen propterea hic non gignuntur, ſed modò ad raritatem ex aliis locis huc adducuntur. Qvod vel ipſe Stella innuerit in adductis verbis, in quibus dicit, Uros tùm imperitum vulgus Romanum bubalos falsò credidiſſe. Argumentum certiſſimum, uros eô tempore vulgó Romæ ignotum & peregrinum quid fuiſſe. Qvod tandem Virgilius mentionem fecerit urorum, neque ex hoc ſequitur, ipſius loco eos viſos eſſe. Uno verbo cum P. Sabino ſtatuimus, uros à Virgilio ſumi communiter pro feris ſylveſtribus, quod Rhetores appellant Synecdochen ſpeciei pro genere. Sanè enim, ſi apud Romanos adeò communes fuiſſent uri, ut eosdem ad peragenda ſua negotia ſacra adhibuiſſent, Romanorum curioſitas eorum qvalitates orbi omninò in ſcriptis communicâſſet; Feciſſent hoc Plinius, Tacitus, Livius, ipſe Julius Cæſar aliique plures, at hoc cum non fecerint, non poſſumus

aliter

aliter ſtatuère, quàm Virgilium urum ſumpſiſſe pro bove ſylveſtri. Denique V. Baronis in Herberſtein teſtimonium quod concernit, in Mazovia ſola reperiri uros, à veritate aberrare, clariſſimum eſt. Si enim in ſola Mazovia, cur eorum maximus numerus in nominato loco in Pruſſia? Sed fortè aliam feram intelligit, ſicuti ex Hartknoch in ſequentibus videbimus.

§. V. Stabilitâ ſic noſtrâ ſententiâ, Uros in Pruſſia propriè dari, ac à dubiis liberatâ; hiſce haud abs re eſſe videtur ſubjicere quæſtionem: *cur hiſce tantùm in locis urus inveniatur?* Cùm enim animal ſit tàm inſigne, uti in ſeqventibus videbimus, mirum profectò, mundo adeò incognitum eſſe. Non fugit nos, naturam multis in rebus profunda habere myſteria, quæ miranda non rimanda ſunt; huic tamen qvæſtioni tres cauſas non contemnendas ſuppeditari poſſe, perſvaſi ſumus. *Prima* eſto hæc: *Temperamentum hujus climatis, quàm maximè convenire cum temperamento urorum.* Certè enim extrà omne dubium eſt, omnia viventia omnem aërem, & cœli clima omne, aut omnis loci conſtitutionem perferre non poſſe. Cur enim elephantes, leones, tigrides ac multa ſimilia animalia hìc non capiuntur? ſine dubio, quod ea raucum hunc aërem perferre non poſſint, ſiquidem eorum natura ad calidiſſimam aëris temperiem quàm maximè proclivis eſt, ut indeque etiam in calidiſſima Africa ac cæteroquin ſub torrida zona maxima in copia reperiantur. Hoc aliquâ ex parte hoc in loco experientiâ conſtat. Cùm namque ante aliquot annos tempore hyemali ex hâc urbe magnus elephas educeretur, calori aſſvetus, pellibus contegendus erat, ne fortè frigoris rigore periret, quô abundè manifeſtabatur, temperiem hujus aeris ei quàm maximè contrariari. Hoc confirmare poſſumus illud

Plinii de elephantibus teſtimonium, qui Lib. VIII. Cap. XI. hæc de iis refert: *Frigoris ſunt impatientes, maximum hoc malum*. Sed ne dubium remaneat, tantum animalia ad calorem proclivia, non poſſe frigidiorem aërem perferre, dare poſſumus ſtatim exemplum, ita viciſſim aliqua animalia dari, quæ quidem intenſiſſimum frigus perferre poſſunt, calidius autem cœli clima, non item. Notiſſimum enim eſt, balænas non niſi in extremo Septentrione inveniri, nempe juxta Gronlandiam, Spitsbergam & alia loca ſimilis temperiei rigidioris, in mari Balthico verò, Germanico, Hiſpanico, multò minus mediterraneo, non videri. Conferatur ſæpè cit. Becmann. in cit. Tract. Cap. X. de Commerc. §. VII. Quod itaque uri ament eſſe ſub climate temperato, argumentum fortè erit, hoc cum temperamento urorum ex aſſe convenire. Huic cauſæ adjungimus *ſecundam: cauſam eſſe quandam ſympathicam & ferè occultam*, quod uri præ cæteris locis degere malint in tellure Pruſſica. Veluti enim inter quædam loca & quædam animalia antipathia aliqua ſtatuenda, eò quod hæc ab iis abhorreant; ita viciſſim alia inter loca & viventia miram ſympathiam eſſe, negari non poteſt, quod in iisdem eis degere volupe ſit. Id quod exemplis dilucidabimus. Cur enim in Anglia non reperiuntur lupi? cur non ciconiæ? Certè ſat cibi potûsque pro utrisque in ea habetur, ut propter alimenti penuriam minimè abſint. Ergò aliquid eſſe, à quo natura eorum abhorreat, haud improbabile videtur. Similiter in mari mediterraneo duæ ſunt inſulæ, haud procul à ſe invicem ſitæ, altera dicitur *Ivica*, altera *Formentera*. Hæc venenatis animalibus tota repleta eſt, in illa contrà nullus ſerpens, nullumque animal, venenum quod habet, ſubſiſtere poteſt. Qvis dubitaret cauſæ loco hic allegare ſympathiam & antipathiam inter iſta loca & animantia

mantia

mantia venenata? Sanè enim ſolidior cauſa vix dari poterit. Ita neque non erubeſcimus dicere, eſſe quandam ſympathiam inter hanc tellurem Pruſſiacam & harum ferarum indolem, quod ab aliis locis quaſi abhorreant, in hac terræ parte vero ſuum ceu peculiare domicilium elegerint. Cui hoc tempore ceu cauſam hujus ſympathiæ adjicere poſſumus, quod ſentiant, tempore hyemali in Pruſſia alimentum in abundantia ſe reperire. Denique & *tertiam* ſuppeditamus cauſam hanc: *Naturæ bonitas*, quæ, uti §. I. jam innuimus, multis provinciis peculiare quidpiam conceſſit, & huic telluri conceſſit urum, animal maximè inſigne, aliis locis haud ita notum quod eſt.

§. VI. Cognito ſic Uro, UBI ſit, QVIS ſit, jam inveſtigandus venit. Eſſe eum ſpeciem aliquam bovis ſylveſtris, extra omne dubium eſt apud eos, quotquot de eo ſcripsêre. Cœterum apud autores mira eſt confuſio in deſcribendo eo. Qvalem confuſionem ipſi autores notârunt, utpote Ulyſſes Aldrovandus, qui cit. jam loco hunc in modum diſſerit: *Urum ex bobus feris eſſe, profitentur omnes, cœterùm quis reverà ſit, niſi diligenter advertas, difficillimè ex autoribus, qui de eo ſcripsêre, diſces: plerique enim eum vel cum Biſonte, vel cum Bonaſo, vel cum Bubalo aliisque confundunt.* Atque hoc facere innuit Martinum Cromerum, cui Biſon idem quod Urus Lib I. Polon. Albertum vero oſtendit ex ejus ſcriptis urum & cum biſonte & cum Bonaſo confundere Lib. XXII. de Animal. Cap. II. Cum Aldrovando ferè eôdem modô ſentit Caſpar Schottus cit. loco: *In deſcriptione variant Auctores, & aliqui urum cum Biſonte, aliqui cum Bonaſo, alii cum Bubalo, aliisque feris bobus confundunt.* Eôdem locô adducit etiam verba quædam ex Plin. Lib. VIII. Natural. Hiſtor. Cap. XV. *Pauciſſima animalia Scythia gignit, inopiâ fruticum:*

pauca contermina illi Germaniæ; inſignia tamen boum ferorum genera, jubatos biſontes excellentique vi & velocitate uros, quibus imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cùm id gignat Africa. Ac denique oſtendit, Sigismundum Baronem ab Herberſtein urum cum Biſonte confundere, in quo cum noſtro Hartknoch convenit. Sed tamen neque hi, qui ejusmodi confuſionem apud alios horum animalium eſſe indicant, neque alii, qui de uro ſimili modô ſcripsêre, in deſcriptione hujus feræ, illiusque figuræ externæ præſentatione, ac cæterùm ejusdem qvalitatum conſignatione, rem acu, ut dici ſolet, tetigêre. Primùm enim dubitant, utrum ſit barbatus nec ne, quod tamen in plurimis extra dubium. Ita quippe modò cit. Aldrovandus: *Icon autem uri, quam ejusdem nobiliſſimi Baronis cura Geſnero communicavit Wolfgangus Lazius, à præcedenti in eo potiſſimum differt, quod minimè barbata eſt. Qvamobrem, hæc ne an illa ſit, in præſenti ego, qui animal ipſum nunquam vidi, certò ſtatuere nequeo, gratiam habiturus alicui, qui oculatus teſtis veritatem ſit dicturus, hoc interim non tacebo, villorum illorum apud veteres nullam eſſe mentionem.* Et uti ſcribit, ita duos in effigie ſiſtit boves communes, alterum barbatum, alterum non, eosque pro uris venditat. Et peræquè dubitanter loqvitur Schottus cit. locô: *Iconem*, inqvit, *nullam uri appono, tùm quia à tauri icone non multum differt, ut ex dictis conſtat, tùm quia adhuc dubium eſt, num barbatus ſit, nec ne. Æſtimo tamen, quos aliqui barbatos ſtatuunt, non uros ſed biſontes.* Geſnerus verò, qui easdem uri præſentat icones, quas Aldrovandus, concedit verbis ſat claris, ſe de uris dubiam tantùm habere ſententiam, ubi enim de iis diſſeruit, hæc ſubjicit: *Hujus ego opinioni interim acquieſcam, donec aliquis rem certiùs aperiat.* Deinde utplurimum ii, qui barbam uro attribuunt, putant

ſum-

ſummam differentiam inter urum & bovem communem hanc eſſe, quod illum dicant barbatum, hunc non. Ita rotundè Eraſm. Stella in Antiquit. Pruſſiæ Lib. I. *Fera hæc* (urus) *ſub mento villos habet longiuſculos in arunci ſpeciem, cæteris tauro perſimilis exiſtit.* Cui ex aſſe adſtipulatur Seb. Munſterus Lib. V. de Germania Cap. cit. Das Land Preuſſen zeucht wilde Ochſen/ die man *Uros*, und zu Teutſch Awr-Ochſen nennet/ die ſehen den zahmen Ochſen gar nahe gleich/ allein daß ſie kürtzere Hörner haben und lange Bärte unter dem Maul. Qvibus hâc in parte facilè plures adjicere poſſemus. Denique mirandum omninò, plerumque Autores, ubi biſontem ab uro diſtingvere cupiunt, in deſcribendo biſonte, noſtrum urum ferè quàm accuratiſſimè deſcribere. Sic Laurentius Surius in Hiſtor. Anni 1501. ſcribit: *In Litvania eſſe uros ac biſontes: & errare, qui uros vocant biſontes, cum biſontes jubati ſint & villoſi circà collum, & in armos, barbâ à mento propendente, pilis moſchum redolentibus, capite brevi, oculis grandioribus & torvis quaſi ardentibus, fronte latâ, cornibus plerumq; adeò deductis, & porrectis, ut in iis tres benè corpulenti homines inſidere qveant; in tergo extare gibbum, priore & poſteriori corporis parte humiliore.* Ita hæc verba ex Surio habet Schottus Lib. cit. Cap. ſeqv. Qvaſi verò hæc ferè omnia, quæ Surius de Biſonte effert, non poſſent de uro dici, ſicuti in ſeqventibus omninò ſpecialiùs obſervabimus. Atque ſecundum hanc Surii deſcriptionem effigiem eandem Biſontis ſiſtunt Schottus, Ulyſſes Aldrovandus & Geſnerus, procul dubio omnes ex Comment. Moſcov. Sigismundi Baronis in Herberſtein. Qvæ quidem omnia ac ſingula abundè comprobant, de uris ad extraneos multam quidem, minimè tamen ſufficientem & plenariam notitiam perveniſſe.

§. VII. Nobis profectò opus non eſt, de Uro adeò dubitanter loqui. Cum namque quàm ſæpiſſimè contingat, ut eum hic videamus, imò vel cum urſo committi ſpectemus, externa illius forma adeò peregrina nobis eſſe non poteſt. Apponimus Uri iconem A. ex Hennebergeri Hiſtor. Pruſſ. p. 251., correctam tamen aliquâ ex parte, cumprimis circa collum & pedes, ſicuti cum oculari inſpectione noſtra quàm accuratiſſimé convenit, cui ſimul Hennebergerus dictâ paginâ hanc adjecit deſcriptionem: Die Urochſen in Preußen ſind grauſahm und grimmig / rauch umb den Kopff und Halß/ forn hochſchultrig/ hinten niedriger/ groß und ſtarck/ an der Farbe fahlechtig. Qvæ pauca verba ſicuti ab inſpectione oculari non recedunt, ita primùm contra Aldrovandum & Schottum extra omne dubium ponunt, communiter uros barbatos eſſe. (quanquam aliqui, pauciſſimi tamen, etiam ſine barba deprehenſi fuerint) Deinde contrà Stellam & Munſterum inſignem differentiam oſtendunt bovem inter communem & Urum, eam non in nuda barba conſiſtere. An enim bovi tantus gibbus, quantus uro eſt? an utriusque idem color? an circum bovis collum & caput ejusmodi hiſpiditas & tanta vultûs atrocitas? Alia ut hîc taceamus adhuc plurima, in ſeqventibus ſpecialiùs conſideranda. Sed quid de Biſonte judicaverimus, cujus effigiem ex Sigismundo Barone in Herberſtein præſentaſſe diximus Schottum, Aldrovandum & Geſnerum? Sanè curioſis venatoribus hodie Biſon hic planè ignotus eſt, niſi quod opinentur, eum caſtratum eſſe urum. Qvamobrem judiciô noſtro non aberraverimus à veritate, ſi dixerimus, Baroni depictum urum verum Pruſſiacum, ſed minus accuratè, cùm notiſſimum ſit, pictores in delineandis rebus quàm ſæpiſſimè addendo ac detrahendo eas aliter ſiſtere ac ſunt, ſicque hic

aliqua

aliqua in villoſitate biſontis addita eſſe, propter quæ à moderno uro aliud animal eſſe videatur. Ab hac ſententia non videtur eſſe alienus M. Hartknoch, ubi enim in citato Tract. cit. Cap. §. verò XIII. appendice ex Barone ab Herberſtein Biſontem deſcripſit per omnes qualitates atque circumſtantias, hæc ſubjicit pag. 218. b. Aus dieſer Beſchreibung iſt es wieder offenbahr/ daß dieſer Biſant eben der Preußiſche Auerochs ſey/ wie ihn Henneberger beſchrieben. Atque ut hoc eò clariùs pateat, iconi Uri adjicere voluimus effigiem Biſontis ex Barone in Herberſtein, quæ videatur B. Cæterùm Hartknoch paulò ante deſcripſit urum ex dicti Baronis Comment. hiſce verbis: Es iſt nach ſeiner Außage ein eigentlich genandter Auer-Ochs nirgends mehr zu finden/ als in Maſuren an der Litthauſchen Grântze/ und wird von den Einwohnern Thur genennet. Derſelbe iſt ein wilder Ochs/ und von einem zahmen gar nicht unterſchieden/ als daß Er nur ſchwartz iſt/ und hat einen weislichten Strich über den Rücken. Hennebergerus verò cit. Tract. p. 251. hæc habet: Sigismundus Frey-Herr von Herberſtein in ſeinem Moſcovia fol. 111. beſchreibet auch einen Aurochſen/ des Titul iſt: URUS SUM, POLONIS TUR, GERMANIS AUROCHS: IGNARI NOMEN BISONTIS DEDERANT. Aber derſelbige ſiehet was anders aus/ iſt nicht ſo groß/ iſt auch nicht ſo rauch umb das Maul/ hat nur wenig rauhe Haar zwiſchen den Hôrnern/ ſonſten iſt er glatthârig über den gantzen Leib/ ſind alle ſchwartz/ allein daß ſie einen fahlen Streiffen über den Rücken die Lânge aus haben/ am Leib und Halß gleich/ laſſen ſich was zâhmer anſehen &c. De qualibus animalibus hodie hic ignotis, hoc judicium ſubjicit Hartknoch, à nobis minime improbandum: Es kan wol ſeyn/ daß dergleichen alhie vor Zeiten geweſen/

aber

aber durch die groſſe und grauſahme Kriege / die hie vor Zeiten geführet ſind / kan das Wild wol verſchichtert ſeyn / daß es ſich an andere benachbahrte Oerter begeben. Welches denn Niemanden Wunder nehmen wird / der nur in etzlichen Preußiſchen Wäldern / ſonderlich in Galinder- und Ermeland geſehen / daß darinnen faſt allenthalben große Schantzen vor Zeiten geſchüttet / daraus abzunehmen / daß man in ſolchen Wäldern dem Feinde den größten Abbruch gethan.

§. VIII. Longè luculentiùs verò Uri notitiam orbi communicaverimus, ubi ejus *Qvantitatem* ac cœterùm *varias Qvalitates* deſcripſerimus. Et primùm quidem ſoliciti ſumus de hujus feræ MAGNITUDINE. Citatus Julius Cæſar l. c. inqvit, uros *magnitudine paulò infra elephantes eſſe*. Eôdem modô de iisdem ſcribit Eraſmus Stella Lib. I. Antiq. Pruſſ. circa calcem. *Uros* (Pruſſia) *excellenti vi & velocitate profert, qui vaſtitate corporis parùm infra elephantes ſunt.* Hoc exemplô confirmari poſſe videtur ex Henneberger Hiſtoria Pruſſ., qui pag. 251. hunc in modum uri alicujus deſcribit magnitudinem: Anno 1595. den 28. Februarii hat der Durchlauchtige Hochgebohrne Fürſt und Herr / Herr Johann Sigmundt / Marggraff zu Brandenburg / und Hertzog in Preußen / dieſen Aurochſen / welcher durch Anordnung Gabriel Dieminger Fürſtl. Durchl. Jägermeiſter / zu Friedrichsburg im neu gemachten Wolffs-Garten / bezogen worden / mit 4. Schüßen erleget / derſelb iſt in der Höhe / alß vom fordern Fuß biß auff den Rücken geweſen vierdhalb Elen hoch / von der Stirn zwiſchen den Hörnern biß an den Schwantz 5. Elen und ein Vierteil einer Elen lang / und hat 19. Centner und 5. Pfund Nürnbergiſch Gewicht gewogen. Mirari profectò ſubit, Julium Cæſarem & Stellam in magnitudine hujus feræ adeo convenire, cum tamen, uti

hic

hic apud nos certum eſt, uros magnitudine vel maximos communes boves omninò ſuperare, ita etiam certiſſimum ſit, eosdem à magnitudine elephantum plurimùm diſcrepare. Certè haud abs re de Jul. Cæſare Geſnerus cit. loc. hâc in parte hoc ſuppeditat judicium: *Cæſar uros magnitudine paulò infrà elephantes eſſe ſcribit. Qvanquam Cæſar etiam in nonnullis, quæ de Germaniæ feris ſcripſit, facilè à peritis reprehendi poteſt.* Exemplum verò, quod Hennebergerus adducit, comprobat raram & extraordinariam uri magnitudinem eô tempore ſpectatam, cujus gratiâ etiam adeò ſollicitè ab eo notatam. Sed univerſalem collectionem exinde formare non licet, ut communiter uros ferè elephantinâ magnitudine gaudere ſtatuamus. Secus & dicere poſſemus, ruſticos in Pruſſia ſtaturâ gaudere ferè quatuor integrarum ulnarum, quia tali magnitudine hìc ante aliquot annos ruſticum pro pecunia ſpectavimus. Et ſanè ſtupendum in modum magnitudo elephantum deſcribitur à Caſparo Schotto Lib. VIII. Animal. Terreſtr. Cap. XXXIII. hiſce verbis: *Magnitudo* (elephantum) *non eſt una omnium, etiam adultorum. Gillius menſus unum Conſtantinopoli, invenit ab oculo ad extremum tergum pedes undecim, ab oculo ad extremam promuſcidem octo. Cadamuſtus Lib. 20. de Sublimitate ait, ſe vidiſſe juvenculum agentem annum decimum tertium, tam altum, ut homo erectus manibus dorſum non attingeret.* Qvæ omninò certiſſima eſſe, in dubium vocare non poſſumus, cum ante 10. annos hìc ipſi viderimus hujus nominis feram, quæ tali modò deſcribi poteſt; Urum autem, quem ſæpe hoc in loco videmus, tantæ magnitudinis minimè proclamare poſſumus. Interim tamen inſignem uri magnitudinem, uti jam innuimus, diffiteri non poſſumus, magnis bobus Podollicis antecellere, aſſerere non erubeſcimus. Certiſſimum verò

exinde eluceſcit, veteres de urorum magnitudine grandia ſenſiſſe.

§. IX. A magnitudine progredimur ad Uri INDOLEM. Allegati autores in eo omnes conveniunt, ut eum maximè ferocem & crudelem deſcribant. Julius Cæſar, Eraſmus Stella & Munſterus in eo concordant, tantam eorum eſſe ferocitatem, ut *nec homini nec feræ, quam conſpexêre, parcant*. Hic addit: & ſi à venatoribus, qui inter arbores ſe continent, telis ac jaculis petantur, adeò exardeſcere & efferari, ubi ſe cruentos vident, nec ulciſci ſe poſſe hoſtem, ut crebrò ad ipſas arbores impetu ſe ipſos conficiant. Ab hodiernis verò venatoribus habemus, eos omnes peræque non eſſe feroces, ſed alios aliis truculentiores. Imò modò homo ad urum nimis propè non accedat, eum non perſeqvetur, ſed potiùs eundem fugiet. Cumprimis circa eorum feritatem limitatio quædam, uti venatores obſervârunt, tenenda: Semper uros eſſe feroces & fugaces, apud horrea verò, Auer-Scheunen/ ubi iisdem pabulum ſuppeditatur, nihil minus quàm feroces eſſe, ſed ferè manſvetos, adeò ut vel è manibus puerorum pabulum capiant. Obſervavimus modò hoc ipſi. Erant enim eorum apud horreum plures quàm 70. minoris & maximæ ſtaturæ. Nos, qui eramus numero IV, videntes accedere, paulatim aſſurgebant (humi enim multi erant proſtrati) ac pedetentim ab horreo fortè 12. gradus recedebant, poſt ſubſiſtebant, in una linea ſeſe omnes nobis quaſi ſtudiò præſentantes, nosque acerrimè aſpicientes. Alii ex iis colludebant, cornibus ſeſe mutuo fricantes. Ad hæc ventus impetuoſior oriebatur, quem cùm ferre non poſſent, in ſylvam omnes unà ſeſe conferebant. Cæſar ſcribit, uros *aſſveſcere ad homines & manſvetos fieri, ne parvulos quidem exceptos, poſſe.* Id videtur eſſe hîc contra experientiam.

Sæpe

Sæpenumero enim huc adducti uri tempore adeo cicurati ſunt, ut non ſolùm hominum liberrimum ad ſe acceſſum paſſi fuerint, ſed ne quidem efferati viſi, ſi aliqui vel eorum lingvam attingere fuerint auſi. An vero in tantum cicurari poſſint, ut omnem prorſus feritatem & ceu ipſam atrocem indolem exuant, indeque boum manſvetorum ad inſtar ad aratra adhiberi poſſint, omnino dubitamus. Etſi enim tempore eorum feritas mitigari valeat, ut ad quælibet ita non efferveſcant, ut ante, facilè tamen contingere poteſt, ut levi causâ ad ſuam atrocem recurrant naturam. Quod exemplô cicuratorum urſorum, leonum, luporum aliarumque ferarum abundè comprobari poteſt.

§. X. Indolem porro excipit ROBUR uri, quod ab autoribus omnino ingens ac ſtupendum eſſe perhibetur. Julius Cæſar ſæpe cit. locô dicit urorum *magnam vim eſſe*, Plinius Nat. Hiſtor. Lib. VIII. Cap. XV. & Stella de Antiqv. Pruſſ. Lib. I. eos inqviunt eſſe *excellenti vi.* Geſnerus hæc habet: *Alibi etiam legimus, in Lithvania multos eſſe uros, qui hominem cataphractum etiam facilè cornibus ſublimem rapiant. Iſidorus arbores & armatos milites cornibus eos elevare ſcribit.* Vulgo dicuntur Tauris multo robuſtiores eſſe. Cromerus Lib. I. Poloniæ tantum uro adſcribit robur, ut in capite ejus duo homines ſedere qveant, & ipſe eqvum cum Seſſore in altum ventilare. Et puto omnino ſeſſionem duorum hominum intra uri cornua rectiùs ad ingens uri robur referri, quàm ab aliquibus ad inſignem cornuum amplitudinem, quam tantam perhibent Laurentus Surius in Hiſtor. Anno 1501. Sigismundus Baro ab Herberſtein in Comment. Moſcov., & ex eo Martinus Grundemann in der neu eröffneten Geiſt- und Weltlichen Geſchicht-Schule. aliique bene multi, ut vel ad ſpatium ſeſſionum duorum aut trium hominum

num pingviorum accedat, id quod ex oculari aſpectu minimè apparet. Et quanquam modo nominati autores tantam cornuum amplitudinem Biſonti adſcribant, non uro; tamen à nobis §. VIII. jam evictum eſt, eorundem Biſontis deſcriptionem cum noſtro uro maximâ ex parte convenire. Cæterùm uri ingens & ſtupendum robur eſſe, extra omne dubium eſt poſitum. Illud manifeſtat vel núdus aſpectus, quippe, uti ex icone apparet, & magnô capite & firmiſſimô juxta ac latiſſimô pectore præditus eſt. Deinde idem apparet ex commiſſione uri cum urſo, in qua hic ab illo pilæ ad inſtar in altum elatus, & præterea ſimul ſatis apparuit, robur urſi in comparatione ad robur uri nullum prorsùs fuiſſe. Atque non ſolùm in capite ejus tantum poſitum eſt robur, ſed illud & calcitratu oſtendit, in quo duobus vel tribus robuſtiſſimis eqvis longè vehementior eſſe perhibetur. Ulyſſes tamen Aldrovandus uri robur maximè minuere pertentat, dum Lib. I. cap. XXXIII. p. 883. adeo rhinocerotis extollit robur, ut urum ab eo pilæ ad inſtar olim in altum elatum eſſe, referat. Adducit namque Martialis Epigramm. XXII. Rhinocerotis robur hunc in modum deſcribentis:

Sollicitant pavidi dum Rhinocerota Magiſtri,
Seque diu magna colligit ira feræ:
Deſperabantur promiſſo prælia Martis:
Sed tamen is rediit, qui fuit ante furor.
Namq; gravem gemino cornu ſic extulit Urſum,
Jactat ut impoſitas Taurus in aſtra pilas.

Quibus hæc adjicit: *Penultimum verſiculum liquet eſſe vitiò librarii depravatum, neque enim tàm vaſto & forti cornutoque animali, ac eſt Rhinoceros, credibile videtur Urſum oppoſitum,*

qui

qui nec corporis mole, nec robore, nec armis ei ullatenus confe-rendus foret, quare refingendum

- - gravem gemino dum ſuſtulit Urum

Verùm ſicuti Aldrovando credibile non videtur, urſum cum Rhinocerote à Romanis ad præliandum commiſſum; ita multo minus credibile nobis videri poteſt, à Rhinocerote Urum, animal tantæ molis tantique roboris quod eſt, quodque eum magnitudine ſi non ſuperat, eidem tamen non cedit, pilæ ad inſtar in altum ſublatum eſſe. Et utut Rhinoceroti maximum robur denegare non poſſimus, prout omnes, quotquot de eo ſcripsêre, id aſſerunt; tamen urum ei robore adeo inferiorem eſſe, nullatenus concipere poſſumus. Uri Robori â Scriptoribus utplurimum & *mira* VELOCITAS adjungitur. Ita Cæſar: magna eorum vis & *magna velocitas*, Plinius & Stella dicunt eos eſſe excellenti vi *&* *velocitate*. Quibus ſeſe opponere videtur Ant. Schnebergerus, qui de Uro ſcribit: *Graviter incedit, ita ut terra ſub eo ſubſidat.* Hoc certiſſimum eſt, & â venatoribus comprobatur, urum *pro inſigni ſuâ gravitate & excellenti robore, omninò etiam inſigni & excellenti velocitate gaudere*, qualem modo dicti Scriptores ei attribuunt. Imo ipſi inſignem hujus feræ velocitatem vidimus & admirati ſumus. Cùm enim tres uri â reliquis ſeſe ſeparâſſent, ac poſt vidiſſent eos ab horreo propter nos recedere, ſtupendâ profecto levitate & veloctate videbamus eos ad gregem recurrere. Aptiſſimis qvoque ad velocem curſum gaudent pedibus. Qvippe hi pro magnitudine & gravitate corporis admodum ſubtiles ſunt, uti ex effigie quam accuratiſſimè apparet.

§. XI. Penes hæc præterea multa alia de Uro ſunt obſervanda, partim ea, quæ ab Autoribus conſignata ſunt,

partim quæ à venatoribus longè accuratiori obſervatione habemus. Atque ut à ſuperiori parte incipiamus, varia ſunt, quæ de Uri CORNIBUS referuntur. Sunt, qui ſcribunt in iisdem deliciarum plurimum eſſe, ex quibus efficiantur pocula, vel in regiis menſis apponenda. Sic Plinius Natural. Hiſtor. Lib. XI. Cap. XXXVII. *Urorum cornibus Barbari Septentrionales potant: urnasque binas capitis unius cornua implent. Alii præfixa haſtilia cuſpidant. Apud nos in laminas ſecta translucent, atque etiam lumen incluſum latiùs fundunt: multasque alias ad delicias conferuntur, nunc tincta, nunc ſublita, nunc quæ ceroſtrota picturæ genere dicuntur.* Et Julius Cæſar c. l. *Amplitudo cornuum & figura & ſpecies multum à noſtrorum boum cornibus differt. Hæc ſtudioſè conquiſita, à labris argento circumcludunt, atque in ampliſſimis epulis pro poculis utuntur.* Julius Solinus ſimiliter in Polyhiſt. Cap. XXXII. *Iſtis porrò, quos Uros dicimus, taurorum cornua in tantum modum protenduntur, ut dempta ob inſignem capacitatem inter regias menſas potuum gerula fiant.* Ulyſſes deniq; Aldrovandus: *Urorum cornua, quæ etiam noſtro tempore in quibusdam templis aurô & argentô exornata, veluti rara quædam monumenta reperiuntur.* Nobis certè hic tanta urorum cornuum pretioſitas non eſt nota, cùm ex aſpectu eorum, â taurorum communium cornibus parum aut nihil recedere videantur. Nigra ſunt plurima, & inſigni aliquâ magnitudine non gaudent. Pocula tamen ex iis confici poſſe, ubi fuerint de grandævo uro, minimè iverimus inficias, at pretioſitatis quid in iisdem fore, non ſumus perſvaſi. Quod Veteres vero de Uri cornuum deliciis ſcribant, fortè inde ortum habet, quod antiqui, apud quos argentea aut alius metalli pocula haud ita in uſu fuêre, eorum locô cornibus uſi fuerint. Ita quippe Cœl. Rhodiginus Lection. Antiqvar.

Lib.

Lib. XXX. Cap. I. *Legimus in veteribus memoriis ante inventionem poculorum antiquos cornibus ad potum uſos eſſe. Quô argumento, à Doctis uſurpatum invenimus* κεράσαι, *pro eo, quod eſt* ἐπιχεῖν οἶνον, *hoc eſt vinum infundere. Sic Piſander & Homerus Iliados* θ,

οἶνόν τ' ἐγκεκεράσασα πιεῖν.

id eſt, *& vinum fundens in ceras, ſive cornu ad potum.* Ad eundem modum diſſerit Henricus Salmuth in Notis ad Pancirolli memorabilia Part. II. Tit. III. de Porcellanis p. m. 114. *Philoſtratus auctor eſt, Regum pocula olim ex cornu fuiſſe. Unde* ἀπὸ τοῦ κέρατος, *id eſt à cornu, cratera deduci, contendit Antonius Mizaldus Memorab. Cent. 3. aphor. 93. Nec deſunt, qui Bacchum ideò cornutum pingi putant, quod Veteres ad conciliandam majorem lætitiam, ut plenius ſe ingurgitarent, magnis cornibus potare ſint ſoliti: ut ex Athenæo Pomponius Lætus cenſuit. Tradit inſuper Theopompus, boves apud Pæonas tàm magna geſtâſſe cornua, ut tribus aut quatuor vini ſextariis vix adimplerentur: ex iisque Reges ac Proceres pocula confeciſſe, labris eorum aurô ac argentô obductis.* Idem Salmuth in ſeqventibus teſtimonii loco Cæſarem adducit de urorum cornibus. Ergò fieri potuit, ut olim veteres, qui communiter ex cornibus pocula fecêre, ad hoc etiam adhibuerint uri, tàm inſignis animalis, cornua, hodie tamen id non fieri, certum eſt. Poſtea, quod Aldrovandus & alii ex recentioribus referant, in ſuis locis ſuô tempore cornua uri viſa eſſe aurô & argentô exornata, facilè eſſe poteſt, cùm ea, quæ ex diſſitis locis apportantur, facilè pro rariſſimis rebus habeantur, etiamſi in ſe nullius ſint pretii. Quot enim lapillorum genera ex India ac aliis locis huc afferuntur, quæ maximo in pretio hic habentur? Et ſic viciſſim, quæ hîc ne-

negligimus, monumenti loco aliis exiſtunt. Veluti in Camera Anatomica Lugduni Batavorum vel nigra ocrea Polonica, ceu rarum quidpiam ſuſpenſum videtur, quod certè ſine riſu obſervare non potui. Utut autem cornua uri, ab ejus capite ſeparata, nihil deliciarum in ſe habeant, quippe omni prorſus carent ſplendore; in capite tamen quoad ſunt, inſigni virtute roboris non deſtituuntur. Hoc enim omninò mirum, quod cum ea parva ſint, Urus tamen iisdem robuſtiſſimam beſtiam in altum attollere poſſit, ſicque per ea ingens ſuum robur exſerat, uti vidimus §. X.

§. XII. A cornibus deſcendimus ad OCULOS Uri, quos Schottus ex aliis Autoribus dicit eſſe *versùs exteriorem canthum rubicundos*. Irritati autem *oculi ignis ad inſtar* radiare, obſervati ſunt. Cauſam adſcripſerimus nimiæ tùm ferocitati & excandeſcentiæ. Duo enim ſunt, quæ quaſi ignem in corporibus animantium excitant, & quidem cumprimis in oculis: labes venenoſa & exacerbatio ſive furor, qui ſemper ſecum quaſi veneni quidpiam vehit. De priori loqvitur Virgilius in Georg. Lib. II. verſ. 505.

Tùm verò ardentes oculi atque attractus ab alto
spiritus - -

Ad quæ verba varia notata in Edit. III. Voluminum in magno Octavo Volum. I. p. 560.

Ardentes oculi) *Nulla major nota illorum, qui tenentur acri peſte. Thucid. inter ſigna* ὀφθαλμῶς ἐρυθήματα, καὶ φλόγωσις: *Oculorum rubores & inflammatio.* Lucret.

Et duplices oculos, ſuffusâ luce rubentes.

Lucan. Galen. Lib. 3. de Præſag. ex pulſ. cap. 4. *Etiam oculi eorum ſunt accuratè inſpiciendi; nam inter lavandum manifeſtè redduntur calidi, & flammei quidem poſtea tales permanent,*

manent, quos planè ſciemus teneri peſte. Cerda. Poſterius quotidiana docet experientia, quoties enim vel homo ad iram aut furorem provocatur, flamma quaſi in oculis ipſius exſurgit, & oculi ſemper lucidiores apparent. Tumque de tali homine dici ſolet germanicè: Er war gantz feurig und gifftig. Qvalis ratio & in feris eſt & omnibus animantibus. Atque ſic, cum urus irritatus præ aliis animantibus ad iram & rabiem proclivis ſit, non mirum eſt, oculos ipſius tùm ignis ad inſtar radiare.

§. XIII. Peculiare quoque obſervandum in LINGVA uri, quam Schottus adeò aſperam deſcribit, ut, *ſi lambendo hominem arripiat, eum ad ſe trahat.* Alii hanc qvalitatem Lingvæ adſcribunt Biſonti, & quidem communiter, quod iterum argumentum eſt, à multis urum perperam pro Biſonte venditari. Ita Oppianus Lib. II. de Venat. ſecundùm verſionem Bodini;

Eſt aliud vaſtum membris & ſangvine gaudens
Taurorum genus: hi nomen gentile ferentes,
Biſtoniæ latos populantur Biſtones agros.
His etiam lingva eſt, ſed acutis aſpera ſpinis
Terrivoram dicas planè te cernere limam,
Namq; cutem rigida lingvâ lambendo cruentat.

Hæc aliqua ex parte conveniunt cum experientia hîc Regiomonti obſervata. Qvippe nonnulli, curioſitate addacti, manibus lingvam uri ſat jam cicurati contrectare auſi ſunt, quam hiſpidam omninò ac acerrimam deprehendêre. An verò lingvæ tanta ſit aſperitas, quæ lambendo planè ferrum


vorare valeat, puto à Scriptoribus dictum eſſe per avxeſin. Interim mirandum eſt, & quoad hoc huic feræ à natura ſingulare quidpiam conceſſum eſſe.

§. XVI. BARBA URI in aliis longior in aliis brevivior, ſicuti & tota villoſitas in aliis major & aſperior, in aliis minor & minus aſpera. Cauſa tantæ villoſitatis à nonnullis eſſe putatur magna Uri humiditas, quam omninò inſignem ei adſcribit Ant. Schnebergerus. Ideoque, in quo uro major fuerit humiditas, in eo etiam major conſpicietur villoſitas. Certum eſt, eam huic feræ cumprimis ſpeciem inſignis atrocitatis ſuppeditare, utpote quô & gibbus eò extantior eſt, & pectus eò amplius, quæ tamen in ſe ſat robuſta, firma & eminentia ſunt. Nimirum ejus villoſitas in hiſce conſiſtit: Sub mento barbam habet, ſat longè propendentem, piloſque circùm totum caput, at longè breviores, in armo & ſupra gibbum pili extantiores conſpiciuntur, collum verô & pectus majori villoſitate gaudet, quæ ad pedes usque tendit, quorum pars aliqua ſuperior ab ea tegitur. Qvæ omnia in icone accuratiſſimè expreſſa. At etiam quoad villoſitatem differentia quædam in hiſce feris obſervanda. Nonnulli Uri, quanquam pauciores, planè barbâ deſtituuntur, eâdem verò qui gaudent, eam ſtatim ab ipſo ortu habent. Id quoque obſervatum, vaccas præ bobus & ampliores eſſe & horridiores. Amplior quippe earum villoſitas quàm boum, indeque etiam præ his majori atrocitate dotatæ.

§. XVI. *In fronte* Urus *criſpis gaudet pilis*, ſicuti rurſus ejus icon oſtendit. *Hi gratiſſimam redolent refragrantiam.* Quod Uro ex citatis autoribus nemo attribuit, hic tamen

ferè


A


B

ferè nemini non notiſſimum. Biſonti verò attribuitur, moſchum redolere gratum, eô argumentô, cujus §. præcedenti mentionem fecimus. Qvodſi jam in cauſas hujus rei adeò mirandæ inqvirere tentaremus, credo rem â nobis difficulter acu tangi poſſe. Enimverò, ab aliis gratus odor definitur eſſe *ex ſicci in humido congruè temperati reſolutione.* Vid. Comment. Magiri in Phyſiol. ſua Lib. VI. Cap. IX. 13. ad quæ alii præterea *ſapidum* referendum eſſe, ſtatuunt. G. B. de Sains Romain in Phyſica ſive Scientia Natural. Cap. XIII. p. 326. cauſam odoris ita deſcribit: *Ex hac doctrina apparet, odores eſſe parva corpora, quæ ex omnibus compoſitis naturalibus, præſertim viventibus egrediuntur, ob freqventem earum agitationem, & quæ poros quam corpora non animata magis apertos habent. Præterea liquet, hæc corpuſcula nunquam in majori copia egredi ex corporibus, quàm ubi diſſoluta ſunt, quomodo ex auro & argento diſſolutis odor exhalat, ſuccinum & muſcum ſuperans. Ex diſſoluto antimonio oleum elicitur grati odoris, & alia ratione ex eodem corpore ſulphur elicitur fœtoris minimè ferendi.* Non examinabimus jam, quinam rectiùs ex hiſce de odoris ortu ſentiant, certum tamen eſt, exinde nos non poſſe pervenire ad cauſam, ob quam pili uri moſchum gratiſſimum redoleant. Sive enim cum prioribus dixerimus; odorem gratum eſſe *ex ſicci ſapidi in humido congruè temperati reſolutione*, hocque ita eſſe in uri ſudore circa dictum locum, nullam dicere potuerimus cauſam, cur non in aliis animantibus eôdem modô ſit comparatum, e. g. in leonibus, urſis, elephantibus, aliisque, quæ ſimiliter ſudant. Quod ſi verò cum poſterioribus dixerimus, parva quædam corpora ex urorum fronte egredi, ob freqventem eorundem agitationem, ac pilis adhærere, minùs

dixerimus, cum non haberemus, cur corpora hic gratum odorem præbeant, cum ex aliis & ſimilibus feris egredientia horridum fœtorem ſuppeditent. Sunt & qui putant eum inde oriri, quòd feræ ſæpe iſtos pilos ad arbores odoriferas fricent, eôque gratum odorem attrahant. Quod verò nobis æquè minus videtur eſſe veriſimile. (1) quod ejusmodi arbores aut plane non reperiantur, aut ad minimum non in tanta copia, quæ talem odorem ſuppeditant ac pili urorum. (2) odor iſte non externum quid, ſed ab interno ſudore vel humiditate eſſe apparet, quod cumprimis eâ parte redoleant, quâ ſunt evulſi. Mirabimur ergò hîc potiùs inſignem Naturæ bonitatem, quæ, uti nonnullis animantibus ſingulare quidpiam conceſſit, nullô modô explorandum, utpote apibus, quod eorum excrementum dulciſſimum ſaporem habeat, felibus zibethicis, quod earum ſudor ſvaviſſimi balſami ad inſtar redoleat &c. ita etiam Uro peculiare quidpiam conceſſiſſe, quod perſcrutari haud ita poſſimus.

§. XV. CORIUM uri firmum omninò & craſſum eſt, à venatoribus ſolicitè aſſervatur. Et hic Naturæ bonitatem reconditi quid habere, nonnulli ſcribunt. Cumprimis hanc in rem merentur verba adduci Geſneri, qui in Hiſtor. Animal. Lib. I. de Quadruped. & quidem de Uro hæc refert ex Sigismundo Barone in Herberſtein: *Hoc certum eſt, in pretio haberi cingula ex Uri corio facta: & perſvaſum eſt, vulgò horum præcinctu partum promoveri. Atq; hoc nomine, Regina Bona, Sigismundi Auguſti Mater, duo hoc genus cingula mihi dono dedit, quorum alterum, Sereniſſima mea Romanorum Regina, ſibi à me donatum clementi animò accepit.* Porrò de ſeipſo dicit: *Ego etiam ex uri pelle cin-*

cingulum ab Antonio Schnebergero meo ex Polonia miſſum accepi, cujus corium duriuſculum validumque eſt. Idem pag. 144. *Ex coriis urorum apud Polonos fiunt cingula cum ipſo pilo, qui nigerrimus eſt (ut ex nobili Polono audivi) & commendatus tanquam morborum quorundam amuleta. Ornant ea nobiles & argento.* Nobis hic quidem Uri corii effectus ejusmodi cognitus non eſt, inficias tamen non ibimus, tale quid in natura poſſe eſſe reconditum, quod hominibus non eſt manifeſtatum. Sed & hoc certum eſt, impreſſionem in hominis animo tali in re plurimum præſtare poſſe, Uſurpari verò corium Uri, & ex eô antilenas & dorſualia confici, à venatoribus habemus. Quod etiam Antonius Schnebergerus refert: *Cutis (Uri) denſa ad duos digitos, & ex ea fiunt cingula & lora pro aurigis.* Denſitatem verò uri corii ad duos ferè digitos eſſe in cervice ac dorſo refert. Frantzius in Hiſtor. Animal. Cap. XIII. de Bobus inquit: *Uri, qui ſunt ſummæ celeritatis, & dorſum habent duriſſimum, reſpuens omnia vulnera.* Comprobavit idem etiam nobis vir quidam, qui illis præſens ſæpe eſſe tenetur, cui nomen officii eſt Warth/ non ſine differentia. Primùm enim vaccarum corium denſitate ſuâ ad bovis Uri denſitatem vix ad dimidiam partem accedere confirmavit, & deinde aliis in locis præter dorſum minus firmum eſſe.

§. XVI. Uti autem Corium Uri durum eſt, ita ejus CARO, quæ ſub durâ cute eſt, gratum ſaporem habet, ac eſui omninò eſt, tùm quod vieta ſit, tùm quod peculiari gaudeat ſapore. Johannes Bonarus Liber

ber Baro, qui Anno 1656. Geſnero deſcriptionem Biſontis admiſit, quam aliquoties jam indicavimus cum deſcriptione noſtri Uri convenire, de carne ejus habet: *Æſtate caro ejus pingviſſima, ſed fœtor allii, quô ſylveſtri plurimum paſcitur, illius nobilitatem viciat: Caro dividitur in fibras gratiſſimas, tamen valde ſapit ac nobilis eſt, ita ut præeat omnibus aliis carnibus.* Eadem refert Antonius Schnebergerus: *Uri caro pondere gravis eſt: recens vel ſtatim poſt venationem commeſta, fluxum alvi facit, quare prius per integrum diem ſale conditam ſervant. Pondus, alvi commotio, conditura, indicant præhumidam ſubſtantiâ ſuâ eſſe.* Quem effectum facilè Uri carni adſcribere poſſumus, hodiè tamen hîc non obſervatur.

§. XVII.